



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

391. De SS. Petro & Paulo. De Officio boni Pastoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

De SS. Petro & Paulo. 691

gnabantur aspicere! ô saltem ego in sacra-
tissimo Sacramento nihil aliud mente aspi-
cerem, cum revera quidquid Deus non est,
vel ad Deum directum, non sit vel unico
actu amoris dignum, præterquam, quòd
non sit in homine particula ullius affectûs,
quæ Deo non debeatur infinities.

MEDITATIO CCCXCI.]

De SS. Petro & Paulo.

De Officio boni Pastoris.

Aspiciam duo luminaria, duas olivas,
duos oculos mundi, duo ubera, gemi-
nas manus Christi, duos montes sicut Sinai
lucentes fumantésque petras, Apostolorum
Principes. Petam eos assequi.

Conf. 1. Boni Pastoris esse, quod infir-
mum consolidare, quod ægrotum sanare,
quod confractum alligare, quod abjectum
reducere, quod periit, quærere. Ut ait Ezech.
cap. 34. Sit pietate Mater, disciplinâ Pater,
ait D. Gregorius de cura Pastoralis. Debet
medicamenta providere & ornamenta, in-
quit D. Augustin. hom. 26. inter 50. Denique
vulnera curare, abluere sordida, reparare
perdita, & quæ sunt integra spiritualibus
margaritis ornare. Atque, ut Dominus ait,
& fecit, animam dare, quem imitati sunt
sancti Apostoli, & Principes Apostolorum,
ad

ad quorum imitationem me ita hortatur D. Chrysoſt. hom. 66. ad pop. *Tu neque Paulo melior es, neque Petro, qui nunquam remiſſionem aſſecuti ſunt, in amando, operando, & patiendo pro Deo & Proximo. Nudi ſaculo, induiti Chriſto, ut ait idem hom. de Pentecoſt.*

Conf. 2. Et cum Diva Gertrude requiram à Domino, ut cum abſim à tanto zelo, & perfectione Apoſtolica, quàmnam ego oves paſcere poſſim, unde ſummam dilectionem Domino demonſtrem, & audiam reſponſum lib. 4. cap. 45. *paſce agnos tenerrimos mihi dilectiſſimos. Cor tuum paſce divinis meditationibus, in laudem Dei, bonum proximi. Os ſalutari loquelâ. Oculos ſacrâ lectione, aſpectuque piarum imaginum & Crucifixi. Aures utili auditu & acceptione reprehentionum. Manus continuis exercitationibus juxta vocationem. Horum ſtudium ſummæ dilectionis erit exhibitio.*

Conf. 3. Quoniam modo fieri poſſim particeps tantæ dilectionis, & intelligam tribus id modis aſſequi me poſſe. 1. Fatendo me ejus indignum. 2. Fiducialiter ſperando. 3. Imitando, imò ſumendo in Venerabili, ipſam dilectionem & charitatem.

I V L I V S.

MEDITATIO CCCXCII.
De Viſitatione B. M. Virginis.

De